

338. *Observe*, quod Aug. L. de Nat. et Gr. c. 43. dicat : *Non Deus impossibilia jubet : sed jubendo admonet, et facere quod possis, et petere quod non possis.* Item quod ibid. c. 69. scribat : *Eo ipso, quo firmissime creditur, Deum justum et bonum impossibilia non potuisse præcipere; hinc admonemur, et in facilibus quid agamus, et in difficilibus quid petamus :* Denique quod sacri Oratores hortentur, et fideles soleant orare uberius Dei auxilium in difficilioribus; hæc, inquam, non probant, quod gratia illa ad possibilia et facilia data non sit efficax, uberius autem auxilium, quod ad difficiliora petitur, sit *de se* efficax, et quod sufficiens omnis gratia in facilibus plerumque sortitur effectum, in difficilioribus autem tantum sit *remote* sufficiens; quæ omnia tamen opinio illa asserit.

Sed dumtaxat ostendunt, nostram obligationem esse, ut cooperemur gratiæ præsentī, quam hic et nunc aut *remote* aut *proxime* sufficientem pro actu completo habemus, atque hinc vel effectum salutarem continuo præstemus, vel, si *difficilior* sit, uberius auxilium postulemus; in quo nihil nobis contrarium dicitur; cum illam divisionem gratiæ præmiserimus, et omnino etiam asseramus, gratiam *proxime* sufficientem ad unum actum posse esse insufficientem ad alium, et tunc petendam esse *gratiam ampliolem*, ut proxime possit superari illa vel impossibilitas, vel difficultas.

ARTICULUS II.

AN IN STATU PRÆSENTI DETUR GRATIA PURE SUFFICIENS?

339. *Nota*, Lutherum et Calvinum in statu naturæ lapsæ solam agnovisse gratiam efficacem ac necessitantem, liquet ex n. 201. Eodem errore rigidiores eorum asseclas involvi ostendunt tum sparsa in hunc sensum a variis dogmata, tum Synodus Dordracena. A simili errore non discessit Jansenius, quantumvis duplici illo tum potentiæ, tum gratiæ genere Catholicis fucum facere laboraverit. In ejus enim systemate utraque gratia est efficax, et neutri resistitur.

Nam si gratia magna est, et superat concupiscentiam, nunquam illi resistitur; quia effectum invincibilem infert: si autem est *parva*, neque illi etiam resistitur; tum quia infallibiliter obtinet omnem illum effectum, licet *imperfectum*, ad quem in illis circumstantiis concupiscentiæ superioris vires habet: tum quia, etsi in hoc casu impediatur a concupiscentia, ne majorem et *perfectum* effectum obtineat, tamen hoc impedimentum ab hominis arbitrio non pendet, sed a *defectu virium* in parva gratia, ut Jansen. L. 3. de Gr. Chr. c. 13. docet; ideoque nec ab arbitrio pendet illa resistentia, ac consequenter nec ab homine illi gratiæ resistitur: *resistere* enim in moralibus nihil aliud est, ac frustrare causam eo effectum, quem in his circumstantiis habere potest.

Porro ab eodem negari omnem in hoc statu gratiam, quæ sit pure simul ac vere sufficiens, patet ex L. 4. de Gr. Chr. c. 10 ubi, *Hinc claret*, inquit, *cur Augustinus omnem omnino gratiam pure sufficientem auferat. Ratio perspicua est, quia cum ei nulla sit gratia operandi præter istam suavitatem Dei, nisi ista tanta fuerit, ut ei delectationes rerum creaturarum cesserint, vel peccabitur, vel alternante delectationum fluctu in medio remanebitur. Sin*

autem ista superaverit, jam sine dubio bene voluntas operabitur; quod enim amplius nos delectat, secundum id operemur, necesse est. Sed utrumlibet fiat, non erit sufficiens gratia, sed vel efficax vel ita inefficax, ex qua operatio nequidem sequi possit, nisi ejus inefficacia per aliam suppleatur. Hunc Magistri sensum sequuntur plerique Discipuli, maxime Quesnellus.

340. *Dico*. In statu naturæ lapsæ datur auxilium *vere* et *pure* tamen sufficiens, seu quod perfectam quidem, completam et relativam potentiam bene agendi tribuat, careat tamen effectu, Est de fide.

Prob. AUCTORITATE. I. SCRIPTURÆ. Textus alii aperte de ejusmodi gratia loquuntur. Act. 7. v. 51. *Dura cervice et incircumcisis cordibus et auribus, vos semper Spiritui sancto resistitis.* Item 1. ad Thess. 5. v. 19. *Nolite Spiritum extinguere.* Et 2. ad Cor. 6. v. 1. *Exhortamur, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis.* Denique Matth. 11. v. 21. *Vae tibi Corozain, vae tibi Bethsaida: quia si in Tyro et Sydone factæ essent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio et cinere penitentiam egissent.*

Alii sub allegoria idem enuntiant. Proverb. 1. v. 24. *Vocavi, et renuistis: extendi manum meam, et non fuit qui aspiceret: despectistis omne consilium meum, et increpationes meas neglexistis. Ego quoque in interitu vestro ridebo.* Isa. 63. v. 2. *Expandi manus meas tota die ad populum incredulum.* Et c. 5. v. 3. *Nunc ergo habitatores Jerusalem, et viri Juda, judicate inter me et vineam meam. Quid est, quod debui ultra facere vineæ mee, et non feci ei? an quod expectavi, ut faceret uvas, et fecit labruscas.* Matth. 23. v. 37. *Jerusalem... quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, et noluisti? Jam vero, tum ipse sensus et constans Patrum et Conciliorum interpretatio, tum manifesta ratio docet, sermonem hic esse de auxiliis internis ac sufficientiam ad agendum præbentibus, quin tamen ea conjuncta fuerint cum actu; unde gratias *vere* et *pure* sufficientes assertas liquet.*

II. CONCILIORUM. ARAUS. II. Can. 25. *Hoc, inquit, secundum fidem Catholicam credimus, quod, accepta per Baptismum gratia, omnes baptizati, Christo auxiliante et cooperante, quæ ad salutem animæ pertinent, possint, si laborare fideliter voluerint, adimplere.* LATERAN. in cap. *Firmiter*, de SS. Trinitate: *Si post susceptionem Baptismi quispiam relapsus fuerit in peccatum, per veram penitentiam potest semper reparari.* TRID. Sess. 6. c. 15. docet, omnes, qui lethalia peccata committunt, a regno Dei excludi, mox subjungens: *A quibus cum divinæ gratiæ adjumento abstinere possunt.* Ex quibus sic arguitur: Gratia *vere* sufficiens est, cum qua quis potest implere pertinentia ad salutem, post peccatum reparari per penitentiam, ante peccatum ab eo abstinere: sed hæc datur omnibus, quin tamen semper sequatur impletio, reparatio aut abstinencia tanquam effectus; ergo.

III. PONTIFICUM. PIUS V. damnavit in Baio prop. 54. : *Definitiva hæc sententia: Deum homini nihil præcepisse impossibile, falso tribuitur Augustino, cum Pelagii sit.* INNOCENTIUS X. hanc Jansenii 2. : *Interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ nunquam resistitur.* CLEMENS XI. præter propp. 3. 4. et 5. cum Baiana consentientes, præter 10. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24. 25. idem, quod Janseniana, enuntiantes; in Quesnello damnavit etiam hanc prop. 9. *Gratia Christi est gratia suprema, sine qua confiteri Christum nunquam*

possimus, et cum qua nunquam illum abnegamus. Et 12. Quando Deus vult salvare animam, quocumque tempore, quocumque loco effectus indubitabilis sequitur voluntatem Dei : quibus consonant 30. et 31.

IV. PATRUM, quorum loco sufficiat unus Aug. Testimoniorum illius triplex classis habetur : Prima eorum, quæ declarant mandata Dei non esse impossibilia : viderique possunt num. 338. Secunda eorum, quæ docent gratiæ divinæ, cum qua agi posset, sæpe resisti. Qualia illa sunt ex L. 83. QQ. et L. de Peccat. mer. et remiss. supra n. 333. recitata, et L. 1. ad Simplic. q. 2. n. 10. *Noluit ergo Esau, et non cucurrit : sed et si voluisset et cucurrisset, Dei adiutorio pervenisset, qui ei etiam velle et currere vocando præstaret, nisi vocatione contempta reprobis fieret.* Item L. de Corr. et Gr. c. 7. n. 11. *Tertia eorum, quæ universalitatem gratiæ et sufficientiam ostendunt. Ejusmodi est L. de Sp. et litt. c. 33. n. 58. Vult Deus omnes homines salvos fieri, et in agnitionem veritatis venire; non sic tamen, ut eis adimat liberum arbitrium, quo vel bene vel male utentes justissime judicentur. Quod cum fit, infideles quidem contra voluntatem Dei faciunt, cum ejus Evangelio non credunt, nec ideo tamen eam vincunt; verum se ipsos fraudant magno et summo bono, malisque penalibus implicant, experturi in suppliciis potestatem ejus, cujus in donis misericordiam contempserunt. Ita voluntas Dei semper invicta est.* Et L. 1. de Genes. contr. Manich. c. 3. n. 2. 3.

Conf. 1. Mandata Dei debent esse possibilia etiam illa non servantibus, ut liquet ex TRID. Sess. 6. Can. 11. et Can. 18. atque ex condemnatione prop. primæ Jansenii; sine gratia autem vere sufficiente illa possibilia non forent.

Conf. 2. Juxta Apostolum 1. Cor. 10. fidelis Deus est, qui non patitur tentari homines supra id, quod possunt, sed facit cum tentatione proventum, ut possimus sustinere; ac consequenter gratia sufficiens præsertim justis urgente tentatione conceditur : multi tamen etiam justis cedunt tentationi; ergo.

Conf. 3. Ex morte Christi pro omnibus, et sincera Dei voluntate erga omnium salutem necessario sequitur, dari hominibus media et gratias, de quibus ab unoquoque salus etiam vere ac relative obtineri queat; cum vero multi tamen sint, qui non salvantur, sequitur, gratias illas sufficientes sæpe carere effectu, ac consequenter dari gratias vere, sed pure sufficientes.

Conf. 4. Quia si nulla admittatur gratia sufficiens, apertissima via sternitur, aliis quidem ad summam vitæ licentiam morumque perversitatem, aliis vero ad animi dejectionem et luctuosam salutis desperationem, ut facile patebit, systema Calvinii et Jansenii ad casum tentationum, peccatorum et operum faciendorum applicanti.

341. *Obj. I. SCRIPTURA videtur non aliam admittere gratiam, quam efficacem et conjunctam cum effectu. Nam 1º. Psal. 113. v. 3. dicitur : Deus noster in cælo, omnia quæcumque voluit, fecit. Ad Rom. 9. v. 19. Voluntati ejus quis resistit? Isa. 55. v. 11. Sic erit verbum meum, quod egredietur de ore meo : non revertetur ad me vacuum, sed faciet quæcumque volui, et prosperabitur in his, ad quæ misi illud.*

2º. *Ezech. 36. v. 27. Spiritum meum ponam in medio vestri : et faciam ut in præceptis meis ambuletis, et judicia mea custodiatis et operemini. Joan. 10. v. 27. Oves meæ, inquit Christus, vocem meam audiunt, et ego*

cognosco eas, et sequuntur me....; et non peribunt in æternum, et non rapiet eas quisquam de manu mea. Ad Philipp. 1. v. 6. Qui cepit in vobis opus bonum, perficiet usque in diem Christi Jesu.

3º. *Ibid. c. 2. v. 13. dicitur : Deus est, qui operatur in vobis velle et perficere, pro bona voluntate. Ad Rom. 9. v. 15. Miserebor, cujus misereor, et misericordiam præstabo, cujus miserebor. Igitur non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei.*

R. N. Ass. Quamvis enim hæc aliaque testimonia satis probent, dari gratiam efficacem, non tamen excludunt gratiam sufficientem, quæ clarissime asseritur in aliis textibus num. præced. relatis : atque hinc nihil patrocinantur Jansenio, contra quem, si revera ipsius intentum firmarent, probarent quoque non dari gratiam parvam ab eo admissam.

Ad prob. 1am. R. universim, in Deo distingui posse voluntatem generalem conditionatam et sufficientem a voluntate particulari absoluta et efficaci, si quidem hanc distinctionem ipse Jansenius admittit L. 1. de Gr. Chr. c. 1. Item intentionem in Deo esse virtualiter duplicem, antecedentem nempe et consequentem, quatenus antecederet vult, ut bonum opus fiat; si vero homo bene agere velit, quatenus consequenter vult, ut homo pœnam subeat.

Unde speciatim R. Psalmista loquitur de voluntate absoluta vel consequente, non autem de conditionata vel antecedente. Similis responsio est ad verba Pauli, si tamen ejus sint, et non Judæi refractarii hæc Paulo objicientis, cum sic legatur : *Dicis itaque mihi : Quid adhuc queritur? voluntati enim ejus quis resistit?* Isaias vero litteraliter intelligendus est de Christo, qui missus a Patre in mundum, in cœlum reversus non est, nisi postquam fecit, quæcumque Pater voluit, et prosperatus est in his ad quæ missus erat. Si tamen de voluntate Dei alia sumatur, iterum antecedentem et conditionatam non concernit, sed consequentem et absolutam.

*Ad prob. 2am. R. In his textibus omnino significari gratiam efficacem, quæ utique datur consentientibus, obtemperantibus ac prædestinatis; non autem omnibus, aut iis, qui ex abusu libertatis proprie gratias inefficaces reddunt; nam Ezechiel agit de iis, quibus promiserat Deus ibidem auferre cor lapideum et dare carneum, quos subjungit recordaturos viarum suarum pessimarum et iniquitatum displicentiam habituros : Joannes autem de obedientibus, qui nempe per donum fidei efficax a Deo acceptum sequuntur vocem Christi, cum ex Aug. L. de dono persev. c. 14. n. 37. aures audiendi sint ipsum donum obediendi; item de prædestinatis, ut clausula textus aperte designat : Paulus denique similiter de cooperantibus agit; unde hunc locum CONC. TRID. Sess. 6. c. 13. usurpans, *Nisi ipsi, inquit, gratiæ defuerint, sicut cepit opus bonum, ita perficiet operans velle et perficere.**

Ad prob. 3am. R. Sensum Apostoli utrinque esse, bonum opus magis a Deo esse per gratiam, quam a voluntate per conatum ac consensum; quia sine gratia voluntas nec conari, nec consentire potest : cum e contra opus malum sit a solo homine. Præterea, juxta alios, Apostolus postremo loco disputat duntaxat de electione divina, quam hic soli miserentis Dei voluntati tribuit, ac proinde huc minime pertinet.

342. *Obj. II. S. Aug. pluribus locis docet, gratiam interiorem nunquam carere effectu; ergo censuit, nullam esse gratiam vere et pure sufficientem.*

Prob. 1^o. L. de præd. Sanct. c. 8. n. 13. *Hæc itaque gratia, inquit, quæ occulte humanis cordibus divina largitate tribuitur, a nullo duro corde respuitur: ideo quippe tribuitur, ut cordis duritia primitus auferatur.* 2^o. L. de nat. et gr. c. 42. *Cum sanata et adjuta hominis voluntate possibilitas ipsa simul cum effectu in sanctis proveniat.* 3^o. L. 1. ad Simpl. q. 2. n. 12. 13. *Nescio, quomodo dicatur, frustra misereri Deum, nisi nos velimus. Si enim Deus misereatur, etiam volumus... Non potest effectus misericordiae Dei esse in hominis potestate, ut frustra ille misereatur, si homo nolit.*

R. D. Ant. Docet gratiam aliquam, nempe efficacem, nunquam carere effectu; et ex carentia effectus infert absentiam gratiæ alicujus, nempe efficacis C. docet omnem interiorē gratiam habere effectum, et ex hujus carentia infert absentiam omnīs interioris gratiæ, nempe etiam sufficientis N. Contrarium patet ex dictis. Hinc

Quoad 1^{um}. R. Hunc textum non ad omnem, sed efficacem duntaxat pertinere gratiam docent verba mox adjecta: *Quando ergo Pater intus auditur et docet, ut veniatur ad Filium, aufert cor lapideum, et dat cor carneum.... Sic quippe facit filios promissionis et vasa misericordiae quæ præparavit in gloriam.*

Quoad 2^{um}. R. Rursus hic agi de gratia efficaci; tum quia Aug. hic præmittit: *Neque de ipsa possibilitate contendo, scilicet quam Pelagiani docebant haberi a natura, non autem a gratia; tum quia continuo subjungit: Dum charitas Dei, quantum plenissime natura nostra sana atque purgata capere potest, diffunditur in cordibus nostris.* Ex quo quidem colligi potest, gratiam efficacem dare posse plenius et perfectius, quam det sufficientis; minime vero, posse gratiæ sufficientis non esse completum.

Quoad 3^{um}. R. Similiter hic non esse sermonem de miseratione quacunque, sed de speciali et secundum propositum, seu efficaci, vi cujus seligit auxilia prævisa efficaciam, et ex intentione boni operis efficaci confert: quamvis enim effectus hujus miserationis antecedenter sit in hominis potestate, quia illis auxiliis resistere potest, et hac resistentia impedire illam præscientiam ac intentionem efficacem; tamen quia ex suppositione, quod homo prævideatur consensurus, et quod Deus conferat illa auxilia, infallibiliter sequitur effectus; hinc recte dicitur: *Si Deus misereatur, etiam volumus; Item n. 13. Non potest effectus misericordiae Dei esse in hominis potestate, nempe consequenter, ut misereatur frustra... quia si vellet etiam ipsorum misereri, posset ita vocare, quomodo illis aptum esset, ut sequerentur.*

Præterea advertendum, impugnari hic a S. Doctore errorem quorundam Pelagianorum, qui proprius postea Semipelagianis fuit, docentium, primam boni voluntatem ab homine provenire, et non a Deo seu gratia, et hinc Deum frustra velle misereri, nisi homo præmittat bonum affectum volendi; contra quos docet gratiam præcurrere voluntati, et volitionem *indeliberatam* saltem ad omnem gratiam sequi: ubi vero de volitione *deliberata* intelligi debet, de gratia efficaci secundum dicta explicatur.

Inst. 1. S. Aug. infert ex carentia effectus negationem seu carentiam gratiæ; ergo. Prob. 1^o. L. de Gr. Chr. c. 13. et 14. ac L. de præd. SS. c. 8. n. 13. ex illo Joann. 6. *Omnis qui audit et didicit a Patre meo, venit ad me, sic argumentatur: Si omnis qui audit a patre, et didicit, venit; profecto omnis qui non venit, non audit a Patre, nec didicit; nam si audisset et*

didicisset, veniret. 2^o. Ibidem n. 13. addit, *eos, qui non credunt, foris tantum audire, non intus.* Item L. de Grat. Christi c. 13. *Qui novit quod fieri debeat, et non facit, nondum a Deo didicit secundum gratiam, sed secundum legem; non secundum spiritum, sed secundum litteram.*

Ad 1^{um}. R. D. Qui non venit, non audivit a Patre, nec didicit, ita ut excludatur utrumque divisim, et neutrum acceperit N. ita ut excludatur utrumque collective, et non acceperit utrumque simul, hoc est, non audivit, atque etiam didicit C. Hanc explicationem probat 1^o. ipsa argumentandi ratio, quæ affirmativæ copulativæ non contradicit per copulativam, sed disjunctivam negantem. 2^o. Doctrina S. Aug. alibi familiaris, qua sæpius declarat, etiam illos audire, qui non discunt, et vocatos etiam esse, qui non veniunt. 3^o. Damnatio illata propositioni Quesnelli 17.: *Gratia vox est illa Patris, quæ homines interius docet, ac eos venire facit ad Christum; quicumque ad eum non venit, nullatenus est doctus a Patre.* Itaque negatur quidem ab Aug. illi, qui non venit, gratiam efficacem fuisse datam, quæ in utroque conjuncto habetur, ut liquet ex L. de Gr. Chr. c. 13. ubi: *Sic Deus, inquit, docet eos, qui secundum propositum vocati sunt, simul donans et quid agant, scire, et quod sciunt, agere; et c. 14. Hoc docendi modo etiam ipsa voluntas et operatio, non sola possibilitas, adjuvatur: non tamen negatur omnis gratia etiam sufficientis, et alius docendi modus, licet inferior, possibilitatem præstans.*

Ad 2^{um}. R. Utrumque explicandum esse sub distinctione; atque hinc, qui non credunt, foris tantum audiunt in doctrina Pelagianorum C. in doctrina S. Aug. *subd.* foris tantum audiunt, quantum ad effectum, quia non magis credunt, quam si foris duntaxat audirent C. quantum ad sufficientiam gratiæ, quasi nullam penitus inspirationem et suasionem internam habeant N. Similiter qui novit, quod fieri debeat, et non facit, nondum a Deo didicit secundum gratiam, supposita Pelagianorum sententia C. in sententia S. Aug. *subd.* nondum a Deo didicit secundum gratiam efficacem C. secundum nullam omnino gratiam N. Recolendum hic est, Pelagianos solum admisisse primum *gratias externas* legis ac doctrinæ, postmodum vero concessisse gratiam quidem *internam illustrationis*, negasse autem semper gratiam *voluntatis et actionis*.

Contra hos tum locis objectis, tum alibi agens Aug. non acquievit sola illustrationis gratia admissa; tum quia et hæc a Pelagianis fraudulentis referebatur ad meram gratiam legis et doctrinæ: tum quia hæc sola sine motione etiam voluntatis non dabat posse ac vires ad operandum salutari-ter; unde et ipso iudice Aug. non merebatur nomen *internæ*, h. e. vires et potentiam agendi præbentis gratiæ. Quia vero præterea hæc ipsa proprie interna gratia voluntatis et actionis in Augustini systemate altera erat efficax, altera inefficax; poterat quidem in *hypothesi Pelagianorum* dicere, gratiam effectum carentem esse auditionem externam et non secundum spiritum, et in sua etiam hypothese idem dicere poterat, si præcise effectus consideraretur.

Inst. 2. Ex eodem S. Aug. sine gratia efficaci non habetur potentia; nam L. 1. ad Simpl. q. 2. n. 13. *Ad alios, inquit, vocatio quidem pervenit; sed quia talis fuit qua moveri non possent, nec eam capere apti essent, vocati quidem dici potuerunt, sed non electi.* CONSONAT FULGENT. L. 1. de prædest. ad

Monim. c. 14. sic scribens : *Quia quaecumque nobis facienda donat (Deus), sicut habere non possumus, nisi ipse nobis largiatur; sic facere non possumus, nisi ipse nobis quae largitus est operetur.*

R. N. Ass. Textus primus illis verbis, *qua moveri non possunt*; non indicat impotentiam absolutam ac antecedentem ex defectu gratiae sufficientis ortam, sed consequentem duntaxat, quae proveniret ex refractaria hominum voluntate, ob quam illa gratia praevisa fuit incongrua, et qua stante utique homines moveri non poterant. Quod ipsum satis insinuat eo in textu, clarissime autem confirmatur ex Tr. 53. in Joann., ubi occasione verborum, *propterea non poterant credere*, quaerit Aug. quomodo igitur non credendo peccaverint? et sic resolvit : *Quare autem non poterant, si a me quaeratur; cito respondeo: quia volebant; malam quippe eorum voluntatem praevидit Deus.*

In textu secundo sermo est de gratia efficaci; unde D. Facere non possumus, nisi ipse operetur, non possumus per solas vires liberi arbitrii C. ope gratiae *subd.* non possumus potentia, quam certo sequatur effectus C. potentia completa et expedita, licet eam non sequatur actus N. Fulgentius hic agit contra *Semipelagianos*, et probat nos habere non posse bonam voluntatem, nisi illam nobis Deus donet; hanc autem actu dari per gratiam efficacem, quae in nobis et *posse* et *velle* simul operatur. Quamvis vero exinde sequatur, gratiam efficacem esse necessariam ad habendam voluntatem salutarem; minime tamen sequitur, non dari gratiam sufficientem, quae det veram volendi potentiam, licet ipsa volitio non conjugatur; neque de hac S. Doctor hic ullam mentionem facit. Eodem sensu explicari debent verba Christi Joann. 6. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus traxerit eum.* Quae verba S. Aug. L. 1. contr. 2. epist. Pelag. c. 19. exponit de gratia efficaci.

Inst. 3. S. Aug. illam duntaxat gratiam admisit, quam ursit et propugnavit contra *Pelagianos*: sed ursit et propugnavit non aliam, quam gratiam efficacem; nam L. de Gr. Chr. c. 10. *Nos eam gratiam, inquit, volumus, iste aliquando fateatur, qua futurae gloriae magnitudo non solum promittitur, verum etiam creditur et speratur*; ergo.

R. 1°. N. M. Cum *Pelagius* non admitteret aliam gratiam, nisi *externam* legis et doctrinae, ad quam reducebatur etiam revelatio et illustratio, ea non contentus S. Aug. vehementer institit, ut assereretur etiam gratia *interna* afficiens immediate voluntates. Hujus existentiam ut evinceret, ostendit *actus salutare*s non esse partus liberi arbitrii suis viribus relictis, sed adjuti per gratiam *efficacem*; qua ratione dum probaret dari nobilissimam speciem gratiae internae, hoc ipso etiam demonstrabat dari gratiam internam; sicut qui ostendit dari hominem, invicte probat existentiam animalis. Ex hoc tamen inepte inferas, Aug. agnovisse tantum gratiam efficacem et repudiasse sufficientem; qualis enim est haec consecutio: quoties bene agimus, adjuvamus per gratiam efficacem distinctam a lege et doctrina; ergo quando non agimus bene, destituimur non tantum gratia efficaci, sed etiam sufficiente, distincta a lege et doctrina?

R. 2°. D. m. Aug. ursit et propugnavit non aliam, quam gratiam ex se et natura sua semper efficacem ac victricem N. non aliam, quam gratiam efficacem, h. e. efficientem seu conjunctam cum voluntate et actione, qua nempe actu creditur, speratur etc. *subd.* et hanc propugnavit ex facto supposito, quod illi actus fidei, spei etc. re ipsa eliciantur C. hanc propugnavit

dari semper et absolute ac in omnibus circumstantiis N. Assumpsit nempe Aug. quod *Pelagiani* admittebant, dari scilicet actus salutare:s hos contendeat fieri per gratiam internam, quam L. de Gr. Chr. c. 47. vocabat *gratiam voluntatis* et *actionis* seu efficacem, quia voluntas et actio juvabatur; atque hinc recte urgebat *Pelagianos*, ut admitterent gratiam voluntatis et actionis, gratiam, qua creditur et speratur, gratiam reipsa cum operatione conjunctam, quin tamen assereret gratiam hanc *entitative* sumptam per se semper habere effectum, et non posse esse tantum sufficientem atque effectum carere.

Inst. 4. Idem saepe et praesertim L. de gest. Pelag. c. 1. *auxilium possibilitatis*, et L. de gr. et lib. arb. c. 13. gratiam communem, tanquam a fide Ecclesiae alienam rejicit: sed gratia sufficiens est tale auxilium et gratia; ergo. Conf. In principiis S. Augustini juxta L. de corr. et gr. c. 11. et 12. magnum est discrimen inter auxilium *sine quo non* et auxilium *quo*; et hoc quidem in statu naturae lapsae datur, illud vero non: sed juxta eundem auxilium *sine quo non* est gratia indifferens ac pure sufficiens; ergo.

R. D. M. Aug. rejicit gratiam possibilitatis et communem in sensu Pelagii acceptam, tanquam alienam a fide Ecclesiae C. acceptam in sensu Catholicorum N. Patet ex dictis supra de *Pelagii* erroribus, per gratiam possibilitatis ab eo nihil intellectum, nisi ipsam naturam et liberum arbitrium, vel ad summum legem et doctrinam; atque hanc etiam vocabat *communem*, eo quod saltem natura ac liberum arbitrium omnibus hominibus inesset: errant autem ac calumniantur, qui Catholicos idem sentire dicunt, cum juxta illos gratia sufficiens sit donum Dei internum naturae superadditum, datumque hominibus a Deo ad praebendam illis potentiam salutariter operandi in circumstantiis praeepti urgentis, quo sensu duntaxat gratia possibilitatis et communis appellatur.

Ad Conf. R. N. m. De qua materia vide uberrimam expositionem n. 273.

QUAERES: An gratia pure sufficiens sit Dei beneficium?

343. R. I. Gratia pure sufficiens est beneficium Dei, saltem *materialiter* tale, h. e. donum accipienti utile. Patet ex prop. damnata ab Alex. VIII. ordine sexta: *Gratia sufficiens non tam statui nostro utilis, quam perniciosa est, ut proinde possimus petere, a gratia sufficiente libera nos, Domine.*

Prob. Gratia Dei est donum naturae bonum, et quidem indebitum ac misericorditer a Deo collatum, ut constat ex Conciliis et Patribus contra *Pelagium*. Sed gratia seu auxilium ad operandum salutariter sufficiens pure tale est simpliciter gratia Dei; ergo simpliciter et absolute est Dei beneficium. Sic 1°. in illo 2. ad Cor. 6. *Ehortamur, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis*, manifeste supponitur, gratiam Dei per hominis desidiam posse esse otiosam et cum effectu non conjunctam, quin propterea esse gratia desinat: 2°. Per illud Actor. 7. *Vos semper Spiritui sancto resistitis, docemur auxilia, quibus resistimus, esse Spiritus sancti dona, quae proinde gratiae et beneficii rationem induunt*: 3°. Ex illo Psalm. 58. v. 11. *Misericordia ejus praevieniet me*, evincitur, auxilium, quo praevienitur homo ad operandum salutariter, et cui ipse non respondet, esse opus divinae misericordiae, ac gratiam consequenter et beneficium.

Conf. 1. Utilissimum et Dei beneficium est, posse placere Deo ac vitam